Viri clarissimi eleganterque docti et causarum in judiciis patroni

Christiani Ludovici Ernesti de Stemann

Husumensis

praelectionem solennem

de jure accrescendi inter collegatarios antiquo

et disputationem inauguralem

die XXX mensis Januarii MDCCCXXVI

hora XI

loco solito instituendam

indicit

Ordinis Jureconsultorum Kiloniensium

nunc Prodecanus et Brabeuta

Georgius Christianus Burchardi

Dr. et P. P. O.

Inest:

De ratione temporis ad perorandum in judiciis publicis apud Romanos.

Kiliae

typis C. F. Mohr.

In causis privatis Leges jam XII Tabularum rei perorandae spatium litigantibus statuisse, exploratissimi juris est [1]). An vero in publicis quoque judiciis accusatoris et rei ejusque defensorum ac laudatorum dicendi licentia, certis temporis finibus, sicut apud Athenienses [2]) circumscripta fuerit, ea de re minus inter se conspirare videntur veterum testimonia. Neque apud quemquam eorum qui vel de comitiis, vel de publicis judiciis, vel de oratoribus causarumque patronis antiquorum Romanorum scripserunt, hanc quaestionem satis elucidatam inveni, plerisque silentio omnino, et qui tetigerunt, perfunctorie saltim eam absolventibus. Quam ob rem quae adtenta fontium perlustratione, imprimis ex orationibus quibusdam Ciceronis, et ex Asconio Paediano, de argumento illo conquirere mihi contigit, tenui placuit comprehendere libello.

Tacitum si audimus, Cn. Pompeius demum tertio consulatu suo, eloquentiam nimis prolixam in judiciis repressit, et accusationes defensionesque, antea ratione temporis plane liberas, perangustum aliquot horarum curriculum excedere prohibuit. Locum huc pertinentem, integrum transcribere lubet:

»Transeo ad formam et consuetudinem veterum judiciorum; quae etsi »nunc aptior est civitati, eloquentia tamen illud forum magis exercebat, »in quo nemo intra paucissimas horas perorare cogebatur, et liberae »comperendinationes erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat, et »numerus neque dierum, neque patronorum finiebatur. Primus, tertio »consulatu, Cn. Pompeius adstrinxit, imposuitque veluti frenos eloquen»tiae, ita tamen ut omnia legibus, omnia apud Praetores gererentur" et rel. [3]).

Sequentibus fusius explicat Tacitus, vel quisquis verus auctor sit Dialogi de Oratoribus, qui Taciti nomine circumfertur, quantum detrimentum ex illo Pompeii instituto, acceperit oratorum facundia. Sed in hac relatione falsa cum veris permista sunt. Pompeius quidem leges aliquas rogavit atque per-

1) Gellii N. A. XVII. c. 2; Festus voce »Supremum." Varro de Lingua Lat. V. c. 2, VI. c. 3; Macrobii Saturnal. I. c. 3; Censorinus de die natali c. 23 et ult. Plinii H. N. VII. c. 60. Conf. Cicero pro Quintio c. 22.

2) Conferatur: Der Attische Procefs, vier Bücher von M. H. E. Meier und G. F. Schoemann. Halle 1824. p. 713 seq.

3) Tacitus in Dialogo de Oratoribus c. 38.

tulit, quibus orationibus judiciariis brevissimum constituit spatium, verum neque ad universa judicia publica hae leges pertinuere, neque primae leges fuerunt, hujus generis restrictionem continentes, ut nunc probare conabor; et primum quidem dispiciamus de judiciis populi.

Apud populum nemini nisi magistratu diem alicui dicere licebat. Magistratus autem qui diem dixerat, comitiis quoque ad judicandum convocatis, et concionibus quae praecesserunt semper comitiis [4]) praeerat, ideoque, quamquam ipse in accusando pro lubitu verba facere posset [5]), alii veniam dicendi ab eo impetrare tenebantur, quoniam generalis erat regula, ne quis in concionibus populi, sine permissu convocantis magistratus publice loqueretur [6]). Neque inanis haec et speciosa magis quam vera magistratuum auctoritas. Licet enim lege rogata, ad suadendam dissuadendamque eam, non solum admitterentur omnes cives [7]), nisi indigniores viderentur [8]), sed etiam invitarentur [9]), tamen quum de reis judicandum erat, solis reis et defensoribus laudatoribusque eorum dicendi potestatem concedere solebant magistratus accusantes [10]). Immo si Dionysio Halicarnasseo [11]) fides habenda est, primis urbis saeculis, omne defensionis onus ipsi reo, unive quem sibi forte elegerat

4) Qui novissime de Comitiis librum singularem edidit Schultzius (Von den Volksversammlungen der Römer. Gotha 1815. 8.) p. 245 seq. ipsis in comitiis rogationes causasque ventilatas esse tradit; quod falsum quam maxime est; nam in comitiis modo suffragia ferebantur, sed propterea semper ante comitiorum diem conciones populi concitabantur, ad rationes legum et accusationes defensionesque discutiendas atque audiendas.

5) Turbulenta multitudo tamen interdum magistratum compulit, ut desisteret. Cicero pro Cluentio c. 39.

6) Scio quidem dubitatum, an magistratus senatoresque etiam veniam loquendi petere debuerint, sed Livii loca III. c. 63 et 72, VI. c. 38 et 40, XXXIV. c. 1, e quibus hoc enatum est dubium, idoneam illi non praebent ansam, et ex Dione Cassio XXXVIII. c. 4. discimus, ne magistratibus quidem, nisi invitati essent, ad dicendum consurgere licuisse. Immo privati priores ad leges suadendas dissuadendasque provocabantur, quam magistratus, Dio Cass. XXXIX. c. 35.

7) Livius XXXIV. c. 1. Quintil. Inst. Or. II. c. 4.

8) Cicero in Or. post red. in Sen. c. 10, Livius III. c. 71.

9) Livius XLV. c. 21, Dio Cass. XXXIX. c. 35. Caeterum universis invitatis, singuli nihilominus specialiter petere tenebantur, ut sibi verba facere liceret, Livius III. c. 71, XLII. c. 34.

10) Schultzius loco citato etiam hoc casu, omnes cives ad loquendum invitatos esse autumat, cujus rei nec vola, nec vestigium unquam exstat.

11) Antiq. Rom. V. c. 11.

defensori incumbebat, reliquis omnibus a dicendo in favorem rei exclusis, quo respexit Cicero, quum se *causam Cluentianam, veteri instituto, solum perorasse* scripsit [12]). Tantus quidem juris rigor humaniori consuetudini postea cessit, usuque obliteratus est [13]), attamen defensorum non plures quam duos aut tres, et laudatorum, non plures quam decem adhiberi moris erat [14]). Praeterea autem quod gravissimum videtur, magistratus qui diem dixerat, reo iisque qui causam ejus defenderent, spatium temporis ad perorandum praestituere poterat, ita ut in arbitrio esset accusantis, quamdiu audiri vellet accusatos. Tam asperum hoc, atque invidiosum, ut vix fide dignum censeas. Nihilominus certissimum est. Nolo quidem exinde argumentum deducere, quod in suadendo dissuadendoque leges, modum dicentibus imposuisse rogatores, abunde constat [15]). Forte enim aliquis mihi objiciat, necessarium hoc fuisse, ne in immensum cresceret disputatio, quum ad rogationes trutinandas omnes consurgere possent. Sed alia haudquaquam fallax probatio in promtu est; nam in causa Rabiriana, undecim annos ante tertium Cn. Pompeii consulatum, apud populum acta, qui Rabirium accusaverat tribunus plebis T. Attius Labienus Ciceroni defensori modo semihorae curriculum ad dicendum dedit [16]), et jure hoc factum esse, merito inde colligimus, quod nisi justum fuisset, Ciceronem, qui tunc consul erat, tribuno obtemperaturum non fuisse credendum est, praesertim quum calumniose Rabirio diem dictum esse, vulgo putaretur; obtemperasse autem Ciceronem nos docet fragmentum finale orationis pro Rabirio, ante aliquot annos a Cl. Maio repertum, in quo ita legitur:

» Dixi ad id tempus, qnod mihi a tribuno plebis praestitum est; a vobis
» peto quaesoque ut hanc meam defensionem pro amici periculo fidelem,
» pro reipublicae salute consularem putetis [17]).

---

12) Plinii Sec. Epist. I. ep. 20.

13) Dion. Hal. l. c.

14) Cicero in Verr. Act. II. lib. I. c. 22.

15) Plutarchus in Catone min. c. 43. Dio Cassius XXXIX. c. 34.

16) Cicero in Or. pro C. Rabiris. c. 3.

17) Conferatur M. Tullii Ciceronis Orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio fragmenta etc. edita a B. G. Niebuhrio. Romae 1820. 8. p. 81. Obiter hic loci pauca monenda videntur de sententia quadam a V. Ill. Niebuhrio l. c. in praefatione ad fragmenta Orationis pro C. Rabirio p. 69 et 70 proposita. Miratur enim Niebuhrius qui Rabirium perduellionis accusatum fuisse dici possit, quum Labienum multam modo aut exilium Rabirio irrogasse ex ipsa Ciceronis defensione appareat. Sed nisi magnopere fallor, multa quam

Interdum quidem sponte aut metu, totos dies longis sermonibus teri patiebantur magistratus [18]), verum ne hoc singulari reorum favore factum credamus, monemur locis, e quibus etiam suasores dissuasoresque legum nonnunquam, simili patientia gavisos esse animadvertimus [19]). Hactenus de judiciis populi; nunc videamus de quaestionibus perpetuis.

Quum apud quaestiones perpetuas, privati quoque accusare possent, temporis ad causam peragendam definiendi potestatem, penes accusatorem non fuisse, res ipsa loquitur. Atqui non illibata perorandi libertate fruebantur partes, nam utrique et accusatori ad accusandum, et reo ad respondendum legibus spatium constitutum erat [20]), cujus legitimi dicendi temporis Cicero saepe mentionem facit in Verrinis [21]). Procul dubio tum accusatori, tum reo XX dies justi erant, ut apparet ex Asconio Paediano [22]), et sane per plures dies nonnunquam loquutos esse oratores in quaestionibus, plura exempla demonstrant. Ita Cicero Verrem per multos dies accusavit [23]), et Cornelium per quatriduum defendidit [24]). Fortasse tamen XX dies isti, ad quaestionem modo de crimine repetundarum pertinebant. Etenim aliis in quaestionibus, alium dierum numerum statutum fuisse ut suspicemur, corruptus quidam Asconii locus facit, qui sic habet: »Alii fecerunt XX, alii

---

a Rabirio avertere conatus est Cicero oratione sua, ad perduellionis crimen omnino non pertinuit. Sicut enim Clodius una multam Ciceroni irrogavit, et perduellionis eum accusavit (Cicero pro Milone c. 14.), ita etiam Labienus Rabirium duplicis criminis reum fecerat. Multam ei irrogaverat ob laesam pudicitiam (Or. pro Rabir. c. 3.), et perduellionis eum postulaverat ob caedem Saturnini tr. pl. (ibid. c. 4.). Ad posterioris criminis poenam quod adtinet, minime quidem satis constat, de morte, an exilio duntaxat certatum sit (ibid. c. 5, 11, 34, 37. duo postrema capita videsis apud Niebuhrium l. c.), sed nihil interest, nam Ciceronis aetate, omnès perduellionis rei dicebantur, quibus apud populum dies dicta, neque multa tantummodo irrogata erat. Sigonius de judiciis III. c. 3.

18) Livius II. c. 61, XXXVII. c. 58, XXXVIII. c. 51, Cicero ad Quintum fratrem II. ep. 3.

19) Conferatur e. g. Plutarchus in Aemilio Paulo c. 30.

20) Cicero pro Cluentio c. 53.

21) Act. I. c. 1, Act. II. lib. I. c. 9 et 12.

22) Ad Cic. in Verr. Act. II. lib. I. c. 11. ad verba *ut cum horis nostris*: »XX diebus scilicet, hi enim dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori ad respondendum."

23) Cic. in Verr. Act. II. lib. I. c. 7, Asconius ad Cic. in Verr. Act. I. ad fin, et Act. II. lib. I. c. 7. ad verba *deinde reliquis diebus*.

24) Ascon. in argum. ad Or. Cic. pro C. Cornelio in fin. Plinii Sec. Epistolae I. ep. 20.

pauciores, alii plures [25]). Aperte autem erravit Scholiastes anonymus ad Verrinas, qui centum et decem dies legitimum accusandi tempus fuisse scripsit [26]), cujus erroris origo in aprico est. Ciceroni enim post divinationem in Q. Caecilium CX dierum, aut si mavis quatuor mensium induciae concedebantur, ad crimina Verris investiganda, ad conquirendum testes aliasque probationes, et in universum ad accusationem praeparandam [27]), quod anonymum istum fefellit. Caeterum neque legitimis diebus a prima luce usque ad solis occasum, sed certis modo horis verba facere partibus permissum erat. Hinc Cicero in Verrinis aliquoties memorat horas sibi ad perorandum datas [28]), et quae ille obiter innuit confirmantur disertis testimoniis Asconii Paediani [29]) et anonymi Scholiastis ad Verrinas [30]). Ad horas in judiciis numerandas Graeco more clepshydris utebantur Romani [31]), in quibus quum singulis horis per fistulas delaberetur aqua, pro horis etiam clepshydras accusatoribus reisque tribui dicebatur [32]). Quot autem et quibus horis

25) Ascon. ad Cic. in Verr. Act. II. lib. I. c. 12. ad verba *nunc mihi temporis ejus quod mihi ad dicendum datur.*

26) Ad Cic. in Verr. Act. I. c. 11. ad verba *meo legitimo tempore:* »aut perpetua oratione »aut ex lege constituta, quia horis certis dicebant accusatores, sive defensores per »clepshydram. Centum et decem dies legitimum tempus erant."

27) Cic. in Verr. Act. II. lib. I. cap. 11, Ascon. in argum. ad Act. I. in Verr. Simili sine dubio sensu accipiendi sunt centum dies quos penes accusatorem fuisse Cicero ait, pro Milone c. 32.

28) Act. II. lib. I. c. 9 et 19. Ad horas illas respicit etiam Cic. in Bruto c. 54. verbis: »Intelligens dicendi existimator . . . videt judicem oscitantem, loquentem cum altero, *mittentem ad horas*, quaestionem ut dimittat rogantem."

29) Ad Cic. in Verr. Act. I. c. 11. ad verba *id enim consilii mihi profecto taciti dabitis;* Act. II. lib. I. c. 9. ad verba *hic tu fortasse eris diligens;* ibid. c. 19. ad verba *nostris testibus quam horis.*

30) Loco transscripto in nota 26.

31) Scholiastes anonymus l. c. Ex clepshydrarum usu oriundae sunt oratorum dicendi formulae *aquae mihi superest*, *aquam sustine*, *aqua mea uti licet*, *aquam sinas fluere.* Apulei Apologia p. 292, 298, 304, 333. editionis Elmenhorstianae. Multa Ejusdem generis exempla, maxime ex Graecis scriptoribus collegit Kool ad Gudii Inscriptt. in Add. p. IX, quem locum benevole mihi indicavit V. Ill. Cramerus noster.

32) Plinii Sec. Epist. II. ep. 11. »Dixi horis pene quinque. Nam duodecim clepshydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additae quatuor." Idem ibid. VI. ep. 2. »Nam postquam obiit ille, increbuit passim et invaluit consuetudo, binas vel singulas clepshydras, interdum etiam dimidias et dandi et petendi". et paulo post »An nos sapientiores majoribus nostris, nos legibus ipsis justiores, quae tot horas, tot dies, tot com-

per diem perorare licuerit, ejus rei certa indicia frustra quaesivi. Id modo apparet, non iisdem semper horis causas in quaestionibus tractari coeptas. Nam quum Clodius Milonem de vi accusaverat, Pompejus Milonis defensor, a hora sexta usque ad horam octavam loquutus est [33]); contra Cicero Verrem hora nona accusare incepit [34]).

Ex hactenus propositis sat manifestum esse opinor, quantum a vero abhorreat Taciti locus, supra transscriptus. Praeterea etiam quid Tacitum ad errandum induxit explicari potest. Nempe quum Milonem post caedem Clodii de vi publica et de ambitu accusatum iri exspectaretur, Pompejus quem tunc tertio et quidem solum consulem creaverat populus, infensius Miloni, duas leges tulit, alteram de vi, alteram de ambitu, quibus graviores his criminibus poenae impositae, et simul accusatores ultra duas defensores ultra tres horas perorare vetiti sunt [35]), cui praescripto, qui defenderunt postea Milonem, Hortensius et Cicero, observantissime sese accommodarunt [36]). Forsitan autem quae Pompeji leges de tempore causarum peragendarum sanciverant, sub Imperatoribus, postquam populi judicia in desuetudinem abierant, ad omnes quaestiones perpetuas et ad extraordinarias magistratuum quaestiones usu extensa atque translata sunt, ita ut merito Tacitus, sua aetate oratores ex instituto Pompeji orationes in judiciis intra paucaurum horarum curriculum cohibere adigi, generaliter scribere posset [37]). Hoc vero quomodocunque

perendinationes largiuntur? Hebetes illi et supra modum tardi? Nos apertius dicimus, celerius intelligimus, religiosius judicamus, quia paucioribus clepshydris praecipitamus causas, quam diebus explicari solebant." Idem ibid. I. ep. 23. Adde Martialis Epigr. VIII. epigr. 7. ad Cinnam:

»Hoc agere est causas, hoc dicere Cinna diserte:
Horis Cinna, decem, dicere verba novem?
Sed modo clepshydras ingenti voce petisti
Quatuor, o quantum, Cinna, tacere potes!"

33) Cicero ad Quintum fratrem II. ep. 3. 34) Cicero in Verr. Act. I. c. 10.

35) Ascon. Paedianus in argum. ad Or. pro Milone: »Utraque enim lex prius testea dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore, et ab reo perorari jubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur." Cicero in Bruto c. 94; Idem de fin. bon. IV. c. 1; Idem ad Atticum XIII. ep. 49; Plutarchus in Pompeio c. 55.

36) Ascon. Paed. l. c.

37) Huic conjecturae Plinius Sec. Epistolarum libro VI. ep. 2. suffragari videtur; ex ejusdem tamen libro II. ep. 11. discimus, in quaestionibus Senatus, de quibus videsis V. Cl. Dirksenii Civil. Abhandl. T. 1. No. 2, Senatum paulo liberaliori manu partibus admetitum esse aquam. Vide notam 32.

sit, id certe constat Pompejo imminutae eloquentiae culpam pro minore parte imputandam esse, quum innovationes, quarum ille auctor erat, duorum modo criminum quaestiones tangerent.

Restat ut primariam officii mihi injuncti partem expleam. Haec enim qualiacunque proludendi occasionem dedit inauguralis disputatio, quam ad summos in jure honores rite impetrandos publice instituet, vir clarissimus eleganterqne doctus, et causarum in judiciis patronus CHRISTIANUS LUDOVICUS ERNESTUS de STEMANN, Husumensis, qui habita ex more praelectione *de jure accrescendi inter collegatarios antiquo*, theses ad disputandum propositas contra universos et quoscunque defendet. Huic igitur solennitati ut frequentes adsint, eamque praesentia sua condecorent, Excellentissimum Curatorem, Professores Academiae meritissimos, Commilitones honoratissimos, et omnes qui litteris bene cupiunt, ordinis mei interpres ea qua par est observantia invito atque rogo.

Theses.

ad disputandum propositae.

1. Dolus indirectus nullus est.
2. Vulnus, quod mortis causam praebuit, absolute letale fuerit necne, in puniendo homicidio doloso nihil refert.
3. Ad redotationem nulla est obligatio.
4. Possessio ipso jure ad suum heredem non transit.
5. Actio retractus est actio in rem scripta.
6. Juramentum diffessionis est propria quaedem juramenti species.
7. Juramentum etiam in causis de dissolvendo matrimonio deferri potest.
8. Pro herede usucapere potest, qui heredem se ex justa erroris causa putat.
9. Uxor, quae in manum convenit, dotem marito constituere non potuit.
10. Legitimi tutores mulierem, quominus coemtionem faceret, impedire non potuerunt.